



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

IN EPI. PAULI AD PHILIP. 24

tibi adscribas, quia pateris. Habes enim hic locū, quod Patip deo pati non potest pro deo: sicut nec credere deo, nisi de- donū est. us det. Nouimus Petrum suæ præsumptioni poenas de disse, quando negabat Christum. Vigilate & orate, inquit dominus, &c.

CAPVT II.

Prosequitur quod cœperat, ut diximus supra, nō monens solum, sed & per omnia sacra Christi- anorum adiurans, obiecto etiam Christi exemplo, ut non superbe sentiamus, &c.

Is adfectus sit in uobis.

Loquitur de Christo homine, cuius exemplum no- bis proponit: is non probauit, non arbitratus est, non uoluit rapere gloriam deo, cum tamen uere etiam es- set in forma dei: id est, deus uerus. Gloriam enim, & omnia ubique tribuit patri, ut uides in Euangelio Ioh- annis. Sed depositus à gloria maiestatis, descendit non solū ad homines, uerū etiam infra homines, ut propter nos obediēs esset patri ad mortē usq; etiā turpissimā, Esa. 53. Idcirco data est ei omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. ultimo. Accepto nomine, in quo solo nos oportet saluos fieri, Acto. 4. Cui omnes populi, tribus & linguæ seruiunt, Dani. 7. Ita ut tremāt etiā portæ inferorū ad tantam Christi gloriā: sicut dicitur ad Ephe. 3. Vt innotescat principibus & potestatibus

ANNOT. IOANNIS POMERANI

*in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia dei
etc. Nam deus suscitauit illum à mortuis, constituens
ad dexteram etc. ad Ephe. 3. Quid ergo nos, qui nihil
sumus, non submittimus fratribus, cum tanta maiestas
se submiserit? obliti illius, Qui se humiliat exaltabi-
tur. Et illius ad Gal. 6. Qui existimat se aliquid esse,
cum nihil sit, ipse se seducit.*

Figura.

*Id est, specie uel forma. ad Hebr. 4. Tentatum per
omnia. etc. 2. Vnde debuit per omnia fratribus, etc.*

Vestram salutem operemini.

*Id est, facite ea quæ salutis sunt, atque ea non sunt
alia, quàm quæ dixit, ut unanimes idem sentiant, non
querant sua etc. sic supra, tantum ut dignum Euange-
lio Christi conuersemini, etc. Et hoc, inquit, cum timo-
re, etc. tremore scilicet dei. Qui enim aliter conuerfan-
tur, certū est eos timorē dei non habere. Idem dicit ad
Eph. 5. Subiecti inuicē in timore Christi. Ne uero hinc
statuas liberū arbitrium, quia dicit operemini uestrā
salutem, addit. Nam deus est is, qui agit in uobis etc.
Quod uero additur, pro bono animi proposito, quasi
hoc ipsum faciat deus in nobis, propter nostrum bonū
propositū, non conuenit. Nam ut nō dicā quod Paulus
inde nostris studijs aliqd tribueret, quomō cōueniet ut
pro nostra uoluntate operetur deus in nobis, qui hoc
scribitur*

IN EPI. PAULI AD PHILIP. 25

scribitur à Paulo dari nobis, ut uelimus. In Græco ergo est ἡ δόξα τῆς εὐδοκίας, id est pro bona uoluntate: ut intelligas sua, non nostra. sicut ad Ephe. 1. Secundum beneplacitum bonæ uoluntatis suæ &c. Ipsius est enim bona uoluntas, quod sic per gratiam in nobis operatur, non noster conatus.

In medio nationis prauæ.

1. Petri 2. Conuersationem uestram &c.

Tanquam luminaria.

Matth. 5. Vos estis lux mundi. Et alibi: Sint lumina uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Item: Videant opera uestra bona &c. Sed hic caue, ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Lux inquam estis propter uerbum uitæ, quod portatis ad illuminationem gentiū. Psalmista: Lucerna pedibus meis &c. Meræ enim tenebræ sunt, & dei ignorantia, & mors ubi uerbum hoc uitæ non est, ut maxime etiam in specie adpareant omnia sanctissima. Hinc dicit Paulus, ut gloriari liceat ad diem, id est aduentū Christi, quod deus per meum Euāgelium aliquid in uobis effecerit, quādo audiam, Euge serue bone &c. De quo tantum gloriatur siue gaudeo, ut etiā gauisurus sim si immolor, id est deo occidor, propter fidem uestram, quam me predicante suscepistis. Vnde & uos non gaudere non potestis. Vide hic iterum egregiam charitatē, & sublimem sanctorum affectum.

ANNOT. IOANNIS POMERANI

*Conuersationem
sic vocat
Iohannem*

Aduerte quod Philippenſium cōuerſationem uocat
hoſtiam & ſacrificium fidei: ſignificans eos eſſe bo-
num odorem deo in omni loco, 2. ad Corin. 2. quem-
admodum de ſacrificijs carnalibus in ueteri lege ſepe
legis, ut Numeri 18. Adipes adolebis tu in ſuauiſſimū
odorē domino. Et de ſacrificio Chriſti ad Ephēſios 5.
Tradidit ſemetipſum, &c. Fidei uero hoſtia & ſacri-
ficium eſt conuerſatio Chriſtianorum. Nam quicquid
quasi bonum uel cogitaueris, uel dixeris, uel feceris,
impoſſibile eſt ut ſine fide placeat deo, ad Hebræos 11.
Eſt enim oblatio Cayn, de qua legis: Reſpexit domi-
nus ad Abel &c. Nam omne quod non eſt ex fide, pec-
catum eſt, Rhomanorum 14. & ad Titum 1. Omnia
munda mundis &c. Sine fide ſunt tua opera, quando
facis contra conſcientiam: id eſt, quando nō credis deo
placere, aut dubitas an deo placeat quod facis. Iſta
ſine fide ſunt, quando uiuis in odio fratris: unde au-
dis, Cum offers munus ad altare. Item ſine fide ſunt,
quando per ea quæris iuſtificari. Sola enim fides in
Chriſtum iuſtificat, ut infra 3. cap.

*Opera ſine
fide.*

Spero autem &c.

Vide quanta diligentia nuncios commendat, ut ſu-
pra de Diaconis diximus. Oportet enim rem euange-
licam & diſpenſationem pauperum curantes, non ſo-
lum probatos eſſe deo, ſed etiam omni ſuſpitione aua-
ritiæ carere, ad Rhom. 12.

Omnes.

Vulgi enim more oratio est interpretanda.

CAPVT III.

Non gaudet in domino, qui gaudet & confidit
 in iustitia sua, in sapientia sua, in diuitijs suis;
 & in summa, qui inuenit in se aliquid in quo confidat.
 Pauperes enim euangelizantur, id est letum nuncium
 accipiunt: hoc est, illorum est Euangelium, quos Chri-
 stus peccatores adpellat, dicens: Non ueni uocare iu-
 stos, sed peccatores. Vnde Hieremiae 9. Hæc dicit do-
 minus, Non gloriatur sapiens &c. sed in hoc glorie-
 tur qui gloriatur, nosse me. Semper enim & in eter-
 num turbaberis, nisi fide didiceris in solo deo (id quod
 ubique scriptura monet) gloriandum. Nam consci-
 entia in tentatione coram deo consistere non poterit
 præ horrendo dei iudicio: quia peccatores sumus &
 ipsissimum peccatum, nisi credamus Christum nobis
 factum à deo sapientiam, iustitiam, sanctificationem
 & redemptionem, 1. Corin. 1. Hoc est Christianorum
 gaudium, qui in se descendentes, nihil inueniunt nisi
 damnationem. Nam qui pro nobis tradidit unigeni-
 tum, quomodo non cum illo nobis omnia donauit? ad
 Rhoma. 8. Verum hic irrumpunt genimina uiperarum
 illius serpentis ueteris semē, lupi rapaces, canes
 impudici, lacerantes gregē dominicū, & à Christi cor-

*Gaudium
 Christiani*